

ciprocis participabit requisitis. Hâc unicâ, in oppositionis respectu, subintellectâ disconvenientiâ; ut quemadmodum principium, prioritatem qualem cunqve & connexionem, in relationis origine connotat; principiatum, cum connexionem quâlibet, posterioritatem latissimam, in reflexionis ordine innuat atqve exposcat.

§. XXVII.

Constat ergo sic quidem de facili, principiatum ratio; modo de ejusdem, ad Divinitatem applicatione, æque inter omnes constaret. Non enim copiose minus, quam religiosè, apud multos, fanioris Philosophiæ, disquirunt Interpretes: Utrum in summè Reverendo SS. Trinitatis mysterio, verenda principiatum stare notatio possit & notio? Et ob diversimodum conceptum, in contraria scinduntur diversi. Toto pleriqve id abnuunt animo. Er dum principiatum sonum æque ac sensum, hoc quidem in loco, putant esse α' θεόλογον; eò ipsò adhibito, evidentissimum in Theognosia Sacrosancta formidant anomalon. Vicissim non pauci, in contrarium contendentes, validis assertionem vindicant rationibus. Sententiam hancce suam, eò, veri quam maximè faciunt similem, quod distinguant inter causatum propriè, & principiatum, latè sic dictum. Illud penitus, ut abominandum repudiant; hoc vero, ut omnino tolerandum, in sua latitudine, propugnant. Etenim, cum citra omne paradoxon, latissimum Triadi divinæ applicetur principium; fluere liquidò, ex mutuâ dicunt consecutionis serie, quod Eidem & principiatum, omnibus pariter exemptum angustiis, in sano aptari sensu possit. Conf. Clariss. Stratmannus, in *Theatro Metaphysico, de principio & principiato.*

§. XXVIII.

Inter hasce, oppugnantium æque ac propugnantium contrarias partes, cum nulla plane, à veritatis, abluere videatur evidentiâ; nos, in nullius determinantes præjudicium, medium tutissimè seligemus. Limitibus accuratioribus, distinguimus inter principiatum definitionem, ejusdemque definitum. Definitionis latioris, reciprocam convenientiam, ambabus quidem largimur manibus; ast, in definiti æque applicationem, concedere nequam possumus. Cum enim vel primo confestim intuitu, principiatum aliquid DEO ominetur inconveniens, non posset non, fa-